

2633

H O M I L E T I C I

2634

Sacerdotem *Bobemum* saepe memoratum pertinens, ut multa vestigia etiam lingua gentis in eo derelicta indicant, *Sermones sacros* complectitur, et I. quidem sic dictos *de Tempore*, initio capto a *Dom. prima Adventus*, in quam *Sermo primus* incipit: *Emitte manum tuam de alto &c.* Sunt vero *Sermones* numero 155. passimque plures in eandem diem.

II. fol. 197. sequuntur *Sermones de Festis Sanctorum*, tam proprii, quam communes. Primi in Festum D. *Andreae* initium est: *Extendam palmas meas ad dominum &c.* Inter hos et praecedentes *Sermones*, uti et ad calcem *Codicis* adscripti sunt recentiore calamo alii quidam varii argumenti *Sermones*, quibus immorari operae pretium non est.

DCXC.

<sup>130</sup> Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 379. f. a diversis, et partim per duas columnas, currente calamo scriptus plura complectitur *Opuscula theologici Argumenti*, quae se excipiunt, ut sequitur. I. *Jac. de Voragine* ex Ord. Praed. ad Archiepiscopatum *Januensem* promoti, Sec. XIII. Scriptoris, ✠ 1298. *Sermones Dominicales per annum selecti*, ita, ut ex tribus in singulas Dominicas unum tantum hic repraesentaverit *Librarius*, hisque subjunxerit *Sermones de B. V. M. in singula Quadragesimae Sabbata*. Editi sunt jam Sec. XV. pluries hi *Sermones*, ut videre est in *Quetisi Scriptt. O. Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

*Praed. T. I. p. 456.* qui vero de *B. V.* tractant, distinguendi a *Mariali Jacobi*, quo *Mariae Laudes* ordine *alphabetico* exequitur.

II. fol. 52. *De Missa brevis significatio*. Exponuntur Ritus *Missae* ab *anonymo* Autore ad modum *Hugonis Card. Bern. de Parentinis &c.* hoc initio: *Ut cum majori devotione sacro sancta solennia missarum audiatis et reuerentius misse interstitis &c.*

III. fol. 55. *Thema Sermonis in Sabbato ante Judica* in illud: *Ego sum lux mundi Job. 8.* *Sermo de B. V.* in idem. *Sermo in Coena Domini* in illud: *Unum opus feci Job. 7.* Incertis autoribus, exiguique momenti.

IV. fol. 58. *Themata sacrarum Dictionum* per annum sic inscripta: *Ignoratis principijs necesse ignorantur Principata, ideo sequuntur initia ut sermones sequantur.* Themata ejusmodi reliquisse *Jacobum Januensem* ex *Catal. Codd. Miss. Angliae* prodit *Quetifus l. cit.* An haec nostra sint, ignoramus. *Albertum M.* in iis citari saepius observes.

V. fol. 63. *Udalrici Abbatis Campililiensis O. Cist. in Austria inferiore Concordantia Caritatis*, five *Materia Dictionum sacrarum* per totum annum. Audi praefantem: *Noticia huius libri, qui Concordantia Caritatis appellatur, talis est. In supremo circulo primi folii semper ponitur evangelium depictum, et iuxta illud quatuor autoritates de prophetis cum ipso evangelio concordantes. Sub quo due hystorie veter. testamenti ponuntur.*

I

nun-

2635

CODICES

2636

nuntur: et sub illis due nature rerum (loca Historiae naturalis) ad ipsum evangelium similitudinarie pertinentes: et semper sub qualibet materia unus versus qui declarat ipsam materiam et exponit, et in opposito folio omnis picturae explicatio, qualiter evangelio concordent singula cum sua moralitate plenius continetur. Iste enim totus liber per Gryseum monachum Vdalricum quondam Abbatem in campo Liliorum ex paruitate sui ingenii propter simplicitatem et penuriam pauperum clericorum multitudinem librorum non habentium est specialiter compilatus. Quia picturae sunt libri simplicium Laycorum. Diuiditur autem liber iste in duas partes, videlicet de tempore et de sanctis. De tempore, quia ponuntur ibi omnia evangelia dominicalia et ferialia totius anni. Quibus tamen habentur evangelia propria et leguntur. de sanctis vero semper ponitur ibi illius sancti passio et concordantie sub eodem. Postea autem com-

munia sanctorum sunt posita et decem precepta cum concordantiis in dextra parte precepta seruantibus quid remuneracionis: in sinistra transgredientibus quid punicionis sentiant assignatur. Ponuntur et post hoc plura notabilia satis pulchra: et in toto libro una hystoria pluries quam semel nullibi fere posita cognoscatur. sed in aduentu domini de Tempore et de Sanctis Andree Apostoli inchoatur. Precor ergo te, o lector, quatenus mei compilatoris habere digneris memoriam apud deum. Et si forte aliqua minus bene aut plene dicta inueneris, emendare ac caritatiue corrigere non obmittas. Valitudinem opto omnibus legentibus et salutem. Amen. Atque ad hanc normam Adparatus sacrarum Dictionum pro toto anno textitur, singulis singulas paginas occupantibus; absunt tamen picturae, et Dictionibus de Sanctis Distichon subicitur. Ita ad D. Andreae festum legas:

*Nos pius Andreas doceat vitare galeas  
Fortibus armatis gravidas rigidasque piratis.*

Ad calcem habetur Vitiorum et Virtutum capitalium oppositio sub titulo: Campiductores vitiorum et virtutum eisdem oppositarum. Descriptio hominis. Item Currus pergens ad celum, et Currus ad infernum. Sub quo: *Et sic est finis huius compendij utilis quod concordantia caritatis appellatur. Finitum est per Johannem Schell. De Auctore in Chronico ms. Coenobii Campililiensis ita legitur: XVII.*

*ab an. 1344. Abbas Vlricus, cui praeter cetera operosissimus liber ab eodem conscriptus famam fecit. Eum librum Concordantiam Charitatis inscripsit. — Porro sponte cessit dignitate, ut studiis liberius vacaret, incertum, quo tempore; constat tamen triennio eum praefuisse.*

VI. fol. 191. p. 2. *Commune de sanctis. Sunt Sermones, potius Synopses Sermonum de Apostolis*

2637

H O M I L E T I C I.

2638

lis *Philippo* et *Jacobo*, *Simone* et *Juda*, *Erasmo*, *Nicolao*, *Virgine*, *Martyre*, *Agnete*, *Agatha* vel *Dorothea*, *Matbia*, *Georgio*, *Inuentione* vel *Exaltatione Crucis*, excerptae ex *Sermonibus Socci*, *Contracti*, aliorumque, quos rude illud aevum in pulpitis admirabatur, et primi Librorum impressores frequenter prelo subjecere, nunc vero nemo, nisi antiquitatis typographicae curiosus, novit.

VII. fol. 197. *Incipit Tabulatura librorum et capitulorum pharetre minoris secundum ordinem alphabeti* &c. et post hunc indicem continuo absque titulo *Pharetra* ipsa inchoat, quae in Libros V. distributa nil est aliud, quam Congeries Sententiarum ex PP. de promptarum de *Deo*, *Virtutibus* et *Vitiis*; subinde tamen et *Cicero* et *Seneca* advocantur. Edita est haec *Pharetra* jam Sec. XV. sine l. et a. f. tacito Compilatoris nomine, qui est *Bonaventura*, cujus *Operum* T. VI. Lugd. 1668. ad p. 99. inserta est, sed plenior, et b. Viri *Praefatione* instructa, in qua Tituli rationem ita reddit: *Quia sicut in Pharetra iacula reponuntur, quibus hostis hostem ferit, vulnerat et dejicit, sic et haec variae auctoritates fide dignorum: quas si manu operationis tenemus, hostem antiquum dejiciemus.* Distinguenda porro est *Pharetra* haec minor a majore, sive *Pharetra Doctorum*, quae triplo voluminosior, ut in talibus facile est addere, et ipsa jam Sec.

XV. typis prodit s. l. et a. f. Vide et *Cod. CCCIII.*

VIII. fol. 261. *Incipit tractatus de discretione spirituum.* Initium: *Sicut in philosophia motus et operationes referri consueverunt ad formas tamquam ad principia mediatiores* &c. Finis: *nisi solo impossibilitatis freno posse retineri.* Tractatum hunc tribui video *Henrico de Langenstein de Hassia Viennensis Gymnasii Plantatori* ✠ 1397. cum a *Gesnero* in *Bibl.* ubi ait msptum fuisse apud *Math. Dresserum*, tum a *Corn. Dielmano*, qui eum *Antverp.* 1652. 8. una cum *Tractatu de Instinctibus Henrici de Vrimarya* edidit. Ita etiam duo hi *Tractatus*, et prior quidem *Henrici de Hassia* nomine diferte insignitus, conjuncti *Cod. XC.* occurrerunt.

IX. fol. 269. *Incipit tractatus de occultatione Vitiiorum.* Adjecit alia manus: *wlgariter von dem schalk und den vechsen.* Tractatus hic superiori conjunctus in *Catal. Codd. Bibl. Paulinae Lipsiae* impresso 1686. p. 195. tribuitur *Henrico de Vrimarya* O. Erem. S. Aug. Scriptori Sec. XIV. Saxoni, de quo post *Tritbemium*, *Oudin*, *Fabricius*, *Offingerus* in *Bibl. Ord.* p. 952. *Incipit: Est via que videtur homini recta* &c. *Quia secundum gregorium in moralib. multa sunt vicia que sub virtutum specie se occultant* &c. *Finit vero: cordis lasciviam a cordis hospicio poterimus extirpare Quod nobis Deus prestare dignetur Amen. Explicet Tractatus bonus et utilis de occultatione*

2639

C O D I C E S

2640

*occultatione viciorum sub specie virtutum Anno domini 1467.*

X. fol. 279. *Incipit speculum regum secundum quosdam theologos. Speculum Regum compositum per magistrum Gotfridum viterbensem principalis aule Cappellanum ad Dominum Heinricum VI<sup>um</sup>. Regem Romanorum et thetunicorum filium friderici imperatoris de geneologia omnium Regum et Imperatorum troianorum et Romanorum et thetunicorum a tempore diluuij usque ad eundem secundum Coronicam venerabilis Bede presbiteri Et Eusebij et Ambrosij De omnibus gestis friderici secundum Capitula que scripta sunt. Hec autem epistola ad eum missa est prelibanda. Sequitur: Epistola ad regem heinricum. Hujus Epistolae ingressum cum jam Lambecius L. II. p. 774. edit. Kollar. col. 575. praeceperit, quae in ea historiam spectant, hic porro enotabimus. Postquam igitur dixisset, se in hoc Speculo a filiis Noe post diluuium ad Reges Athenienses, indeque ad reges Trojanos descendere, prosequitur: In priamo autem et anchise prosapia regum in duo diuiditur. Ex Anchise enim Eneas et Ascanius omnesque reges et Imperatores ytalici oriuntur usque ad Karolum regem magnum. A priamo autem iuniore nepote magni priami ex sorore vniuersa thetunicorum nobilitas usque ad eundem Karolum patet emanata. In ipso Karolo utriusque propaginis genus concurrat. Mater enim eius Bertha, cum esset filia filie Imperatoris Eraclij de genere Imperatoris Romanorum*

*et grecorum fuit. (Cariberti Com. Laudunensis filia erat, sed Autor noster in Pantheo, Scriptt. germ. Pistorii T. II. edit. Struv. p. 300. et 303. ex Ungaria eam accersit.) Pipinus autem pater eius rex thetunicorum a genere troianorum descendit. Fuit itaque Karolus magnus patre thetunicus et matre Romanus. Et notandum quod secundum coronicam venerabilis Bede presbiteri, Eusebij aput hebreos et aput grecos et ytalicos et alias nationes interdum annos et tempora vsque olympiades vnius cuiusque regum et Imperatorum liber distinguit apostolicorum et romanorum nomina et tempora et annos sub unoquoque Imperatore declarat. Item turbaciones ecclesie Romane a Longobardis illatas satis commemorat. Et quomodo dux francorum Karolus Martellus et rex Pipinus atque Karolus magnus Romam et ecclesiam liberauit sufficienter explanat. Qualiter Karolus Imperium suis viribus acquisiuit plene describit. — Item quomodo papa Siluester terram possedit a Constantino, et quomodo possedit eam que nunc dicitur patrimonium a constantino et omnia scepra regalia seu imperialia. Que omnia de pluribus hystorijs congregata et diuturnis laboribus multis voluminibus explorata sapientia tui numinis si placeat in puerorum scolis facias leſitari. Honestius id esse, quam fabulas caridonis uel peccudes melibei memorie commendare. &c. Iuuentuti itaque erudientiae *ἐπιτομὴν* hanc Gotfridus ex magno Opere suo, quod Pantheon inscripsit, XX. Partibus constante,*

2641

## H O M I L E T I C I.

2642

te, et a rerum principio ad *Urbani III.* tempora deducto, editoque loco *supracit.* condidit, et in duos distinxit *Libros*, quorum prior *Trojanorum* et *Romanorum Regum* seriem complectitur, alter *Romanorum* et *Francicorum* Im-

peratorum successionem a *Julio Caes.* ad *Carolum M.* textit. Sunt vero hi *Libri* partim *metrici*, partim *prosaici*, velut ipsum *Pantheon.* En primi initium a *Librario*, ut videtur, corruptum:

*Editus archa cain et noe patriarcha  
Vita prius parta male qui prospexerat archa  
Nil habet bystorie nec memoranda patent  
Egrediente patre veniunt tres ordine fratres  
Joseph et Moyses referunt hec omnia late  
A quibus optata dogmata prima patent &c.*

In margine adjicitur: *Nota hic de Sem nati fuerunt XXVII. viri de Japhet vero XXIII. viri de*

*Cham XXII. qui insimul fuerunt LXXII. &c. Libri secundi finis:*

*Carolus Imperii suscepit in orbe coronam  
Cuius et auxiliis reparat sua tempora Roma  
Sicut et in tytulis pagina nostra sonat*

Hos versiculos, uti et alios plurimos ex *Pantheo* in hoc suum *Breviarium* transtulit *Gotfridus*, addiditque vel ipse, vel alius ad calcem *ἡγεγονοταξίη* succinctam Imperatorum a *Carolo M.* ad *Fridericum II.* de quo: *Fridericus imperavit annis 33. Hic a domino papa Honorio in Basilica sancti petri coronatur.* Quicumque *Speculi* nostri meminere, *Caveus*, *Oudinus*, alii, uni *Lambecio* *suprac.* in acceptis referunt; hinc de raritate inediti hujus Operis statues. Autorem *Bambergae* literas didicisse, *Conradoque III. Friderico I.* et *Henrico VI.* a *Sacris* et *Scriniis* fuisse, et fortasse *Seculum XIII.* vivendo adtigisse, quos paullo ante nominavi, *Literato-*

res cum *Fabricio* tradunt. Ejus *Pantheo* *Chronographum* rhythmicum *Teutonem* usum fuisse, ad *Cod. CXXXVI.* insinuavimus.

*XI. fol. 306. Sermones. Collectura bona de certis festiuitatibus sanctorum.* Themata potius *Sermonum*, rudis aevi monumenta plusquam *XX.* anonyma, nec digna, quibus immoremur. Solus *Sermo de assumptione beate virginis marie fol. 319.* autorem prodit *Hainricum de Hassia*, estque is, quem *Bern. Pezsius* e *Cod. Mariaecell.* memorat in *Dissert. isag. ad T. I. Tbes. Anecd. p. 77.* hoc initio: *Quasi cedrus exaltata sum &c.*

*XII. fol. 331. Tractatus de ordinatione in ecclesia exercentium.* Incipit: *Dicturi de officijs de locis*

2643

C O D I C E S

2644

*in quibus et de personis seu ministris a quibus et de indumentis cum quibus huiusmodi officia exercentur &c. expofitisque Templorum ornamentis, Ministrorum gradibus, Sacerdotum et Episcoporum Vestibus, Ritibusque Sacrificii definit imperfectus in explanatione Canonis. Et hunc Tractatum sub lemmate: De Officiis, locis et personis ad sacra deputatis, a Fabricio adscribi video Henrico praedicto de Hassia sive Langenstein.*

XIII. fol. 367. Opusculum de Potestate Clavium in Ecclesia, nobis simpliciter inscriptum: *Tractatus Magistri Hainrici de Hassia.* Initium est: *Tibi dabo claves regni celorum. Mat. 16.* Hoc cui libet dicitur confessori qui habet potestatem absoluendi confitentes a peccatis &c. Ad calcem subditur: *Explicit tractatus magistri Hainrici de Hassia egregij doctoris ac professoris sacre theologie.* Quo eum facilius ab juniore hujus nominis *Carthusiano* distinguas. Msptum hoc nostrum adlegatur a *Fabricio.*

XIV. fol. 378. Agitur breviter de *Matrimonio*, ejusque *Impedimentis*, et pingitur nota *Confangunitatis Arbor* cum suis regulis.

## DCXCI.

151 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 128. f. per duas columnas currente calamo scriptus complectitur *Sermones LXVI.* in varias Dominicas, aliaque per annum festa, quorum Primus in illud *Lucae 19.* Cum

*appropinquaret Jesus ierosolymis &c. ad Adventum Domini prae- parat hoc initio: Adventum Domini recolentes scientes eum venisse in carne pro salute nostra &c. Ultimus mutilus vero in illud Matth. 18. Assimilatum est regnum coelorum homini regi &c. quod Dom. XXI. post Pentec in ecclesia legitur, incipit: Diabolus seruos suos si vulnerentur non curat sed vulneratos pertrahit ad sepulchrum eterne mortis &c. Autor nullibi proditur, nec operae pretium est, multis in eum inquirere; Academiae tamen Vindobonensis membrum olim fuisse putem. Codex in principio sic inscriptus est: *iste liber datus est ecclesie Ardacensi ex parte Domini Chunradi Hindernpach plebani In ybs et canonici ecclesie S. Stephani wienne et olim decani ac canonici prefate ecclesie ardacensis. Ecclesiae Collegiatae hujus Literas Foundationis ab an. 1049. et Statuta habes in Raym. Duellii Miscell. L. I. p. 105.* Nunc nihil nisi Praepositi Titulus restat.*

## DCXCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 165 XV. Folior. 272. f. per duas columnas scriptus et rubricatus continet *Sermones de Tempore et de Sanctis* per totum annum, incipiendo a *Dominica I. Adventus.* Autorem aliquatenus produnt fugientia haec in theca Cod. anteriori adscripta verba: *S. de tempore et sanctis Egge: doctoris Wnc. olim Ecclesie Pragensis Admini-*